



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 6. Deo iniuriarum certo Vindici vltionem esse relinquendam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

§. VI.

*Deo iniuriarum certo Vindici ultionem esse re-
linquendam.*

Atqui hoc pacto atrocissimæ quæquæ in-
juriæ viris sanctis & patientibus irrogatæ
manent impunitæ? inquires. *Ne dederis os
tuum, ut peccare facias carnem tuam; neque
dicas coram Angelo, non est providentia &c. Si
videris calumnias egenorū, & violenta judicia,
& subverti justitiam in provincia, non mireris
super hoc negotio; quia excelsus excelsior est alius.*
Non punit Princeps, non punit rex, parcit
Imperator, excelsus quidem est. Sed ex-
celsus excelsior est alius, qui ait, *mibi vindicta
(competit) ego retribuam, dicit Dominus.* Ego
DEVS sum omnium justissimus prouisor, ju-
dex, & vindex, meum est vlcisci; meum of-
ficium est, debitas de calumniatoribus, &
omnibus præuaricatoribus poenas sumere.
Itaque vos grauia passi, nolite solium me-
um, tribunal meum, sceptrum meum inua-
dere, *sed date locum ira, diuinæ, ut suppleat*
D. Chrysostronus, Theodoretus, Oecume-
nius, & ipse Augustinus, relinquitte Deo
injuriam vestræ ultionem. Si enim vos ipsi
vultis esse ultores, & mercedem patientiæ, &
virtutem charitatis perdetis; & efficietis, vt,
mali

Eccles. 5.
5.

Rom. 12.
19.
Deuter.
32. 35.

Rom. 12.
19.
Chrysostr.
Theodoro-
ret. Oe-
cum. in
cit. loc.
Pauli. Au-
gustin. in
Psal. 78.

mali alienę potestatis vsurpatores, vestra
sententia in caput vestrum resiliat. Digni
sanè sunt supplicio suo, omnes injuriarum
authores & fabricatores, & quidam bono
zelo vindictam expetunt. Igitur *si animis
vehementer exastuat, neque coerceri se irā pati-
tur, prestate, ut hac Christo permittatis, ac fu-
turo tribunali reseruetis.* Et si enim multorū,
in hac vita, crimina non plectantur, non ta-
men illa manebunt inulta. Quia Deus vl-
ciscetur, & quidem gravissimè, saltem in vi-
ta altera. Gravissima autem erit illa ultio,
quia non erit iudicis, qui falli potest, sed
Dei omnipotentis, atque omnia videntis;
cuius opera omnia magnifica & terrifica
sunt. Ob quam causam Apostolus alibi ea-
dem repetens, ac scribens, *Scimus qui dixit: Hebr. 10.
Mibi vindicta, & ego retribuam: Et iterum: 3.
Quia iudicabit Dominus populum suum: mox
subiungit: Horrendam est incidere in manus
Dei viventis. Quamobrem non debet homo
se ipsum vlcisci, hoc enim esset, & inuadere
officium DEI, & de eius justitia diffidere;
neq; credere eius ultionem: quę tanta erit,
vt potius commiseratione digni sint, qui
quando nobis leues injurias inferunt, in-
manus Dei viventis, & irati incident, in-
quas*

quas horrendum est incidere. Quamquam etiam partim ad iustitiæ suæ manifestationem, partim ad innocenter afflictorum consolationem, partim ad aliorum exemplum & cautionem, sapissimè Deus, etiam in hac vita, puniat calumniatores, & quidem illo ipso malo, quod alijs præparauerunt. Hoc autem, siue per se, siue per alios, facere eum consueuisse, paulò explicatiùs dicere operæ pretium est.

CAPVT II.

Quid sit lex, aut pœna talionis, & quàm iusta?

§. I.

Quid sit propriè TALIO? quid latè?

VIndictam, seu hostimentum, veteres *talionem* appellauerunt. Vnde si quis alteri manum amputauisset, apud Romanos, illi *lege talionis* manus vicissim debebat amputari. Festi verba sunt: *Talionis mentionem fieri in XII. Tabulis, ait Verrius hoc modo: SI MEMBRVM RVPIT, NIGVM EO PACIT, TALIO ESTO. Neq, id, quid significet, indicat, puto, quia notum est. Permittere enim lex parem vindictam. Quam Sylla metuens*